

EXCELLENTISSIME DOMINE COMES

Placuit nuperè gratiosissimè transmittere Schediasma
hocce superbiens titulo:

COMMENTATIO BIBLICA
IN EFFATUM CHRISTI
Matth. 16, 18. 19.

*Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Eccle-
siam meam, & portæ inferi non prævalebunt ad-
versus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum.
Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum
& in cœlis: & quodcumque solveris super terram,
erit solutum & in cœlis.*

Q U A M

CUM SELECTIS è N. T. THESISIBUS

P R Æ S I D E

THADDÆO à S. ADAMO

S. S. Th. Doctore, Sacr. Hermeneut. & L. L. O. O.
Prof. P. O. Público tentamini subjicit


ADRIANUS EX WIPERFUHRT,

Ord. Capuc. Theologiæ in Univers. Bonnensi Auditor.

B O N N Æ,

In aula Academica, die Septembris 1789.
Mane ab hora nona.

Coloniæ (a) typis Christiani Everaerts prope Eccle-
siam S. Laurentii.


Placuit in simul jubere, ut sensa mea panderem.
Jussa capescens ego ibi ordior, ubi novellus sacro sanctæ
Theologiæ Doctor, nec non sacræ hermeneuticæ, &

linguarum orientalium Professor publicus, atque ordinarius definit.

(a) Fortè non Agrippinæ, sed Allobrogum. Aut fortè sancta Colonia Agrippina jam est recidiva, neque in fide stabilis. Quid videtur? Consule W.H.W.B.C.

§. I.

Ita autem §. XV. definit. *Odi profanum vulgus & arceo.* ~~Polemicorum enim~~ prapofuit, quò plenius comprobaret, se decadem verborum græcorum calère, adeoque linguarum Orientalium Professore jure ter optumo maximo cluere. Dein latinum versum mutuatus est ab HORATIO, qui commentatore TORRENTIO (a) res quasdam gravissimas hacce ode tractaturus, non aliter, quam si sacra fierent, se odisse profanum vulgus, & arcere pronuntiat. Ast num etiam thaumaturgus sequentes versus jure addet.

Favete linguis, carmina non prius Audita, Musarum sacerdos virginibus, puerisque canto?

Quis poëta, interprete laudato TORRENTIO, dignis auditoribus favere linguis, seu tacere imperat, cum ea cantare gestiât, quæ virgines, & pueri ingenui ad deorum, ac virorum, virtute præstantium, laudes referendas addiscere debeant. Vereor quàm maxumè. Faciamus igitur periculum.

(a) *Commentar. in Carm. Lib. III. Od. I. W. v. p. m. 183.*

§. II.

Ingressurus Professor publicus, atque ordinarius, §. I. periocham, sive argumentum MATTHÆI XVI. v. 18 & 19. jam indè à patrum ætate ingenia interpretum vexasse, atque in varias partes traxisse novissimè refert, eumque in finem obtestatur DU-PINIUM. ANTONIUM DE DOMINIS, NATALEM ALEXANDRUM, CASAUBONUM, ac SUICERUM. Ecur unus tantum allegatur Catholicus, nimirum NATALIS ALEXANDER, & non plures, quorum tamen infinitus est numerus, atque inter omnes micant

CHARLAS (a) SCHELSTRATE (b) ORSI (c)
 ZACCARIA (d) DIETERICH (e) MERTZ (f)
 MAMACHIUS (g) BALLERINIUS (h) & MAYER
 (i) Ipse illuminatus dixit : Odit nimirum profanum
 polemicorum vulgus, & arcet. Quid ! Nonne ipse
 etiam est polemicus, dum polemica tractat ? Utique
 est polemicus, sed parum Catholicus.

(a) *P. in Primat. Jurisdictionis Romano Pontific.*
assert, seu Respons. ad dissertationem magistri Lu-
dovici Ellies du Pin.

(b) *Antiquitat. Eccles. Tom. II. Dissertat. II.*
Cap. VI. Art. I. & seqq.

(c) *De irreform. Roman. Pontif. Tom. II. Lib.*
IV. Cap. I & seqq.

(d) *Anti-Febronio Tom. I. Dissertat. I. Cap. IV.*
& seqq.

(e) *Dissertat. de Primatu. Rom. Pontif.*

(f) *Frag. was ist der Pabst.*

(g) *Epistol. ad Auctorem anonymum opusculi in-*
scripti. Quid est Papa.

(h) *De vi, & ratione Primatus Roman. Pontif.*

(i) *De Roman. Pontif. & Concilior. General. Auct.*

§. III.

Tum commentator biblicus §. II. rem ipsam aggre-
 ditur, atque imprimis exhibet græcum textum MAT-
 THÆI XVI. v. 13—19; nec non versionem vulgatam
 v. 1. 3. cum levidensibus notis. Mediùs fidiùs carmina
 non prius audita virginibus, puerisque cantat.

§. IV.

Dein §. III. versionem syriacam, quæ speciali dis-
 quisitione digna ipsi videtur, expendit, sed propriis
 litteris carens, & fortè etiam haud pollens, litteris
 hebraicis exprimit, ex polyglottis non Romanis, sed
 Londinensibus latinè reddit, atque his BARONIUM,
 HARDUINUM, MALDONATUM, ac CALME-
 TUM erroris arguit, qui litteris syriacis caret, & non
 pollet: Ast cum careat, cur non lectorem remisit ad

infignem CORNELIUM A LAPIDE (a) qui syriacis gaudet. Certò certius Judas, sive Thaddæus sive Iscariotes' cum MARONE (b) conclamabit. Procul, ò procul este profani.

(a) *Comment. in Matthæum Cap. XVI. v. 18.*

(b) *ÆNEID. Lib. VI. v. 258.*

§ V.

Porro §. IV. versiones Arabicam, Æthiopicam, & Persicam examinat, simulque fatetur, auctoritatem versionum, quas produxit, solidum fundamentum subministrare nequire. Quid ergo! Odit profanum polemicorum vulgus, & arcet. Ideo iterum omisit CORNELIUM A LAPIDE (a) qui Arabicum, Æthiopicam, & Persicam retulit.

(a) *cit. loc.*

§. VI.

Tandem §. V. adfert locos parallelos ex divo MARCO, & LUCA: Superi! Quæ, qualisque novitas? Annon jam dudum ipsa Biblia Sacra vulgatæ editionis (a) in MATTH. XVI. v. 13—18. Eosdem locos ex MARCO, ac LUCA attulere, simulque ex JOANNE posteriores locos addidere? tacebo impræsentiarum laudatum CORNELIUM A LAPIDE (b) ac plerosque alios, qui desic dicta profana polemicorum gente veniunt, adeoque repellendi sunt.

(a) *Antverpiæ apud Joannem Baptistam Verdussen MDCCXL.*

(b) *cit. loc.*

§. VII.

Nunc illuminatus paraphrastes, ad versus transit, paratque §. VI. expositionem versûs decimi Sexti: *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi.* Quis eam requiret, nisi quem fugit sequens non fat laudandi CORNELII A LAPIDE (a) Græcè id est, *ille Christus*, Scilicet Messias à Deo ante tot sæcula Adæ, Abrahæ, Mosi, & Davidi promissus, quem omnes Patriarchæ, & Prophetæ avidissimè expectarunt, hodièque omnes expectant. Tu inquam, es Christus sive Messias id est, unctas a Deo unctiõne

gratiæ unionis hypostaticæ cum verbo, ac hoc ipso consecratus summus orbis Doctor, Pontifex, Propheta, & Rex. *Doctor*, ut doceas homines Dei voluntatem, & legem: *Pontifex*, ut te in sacrificium Deo afferendo; mundum Deo reconcilies: *Propheta*, ut arcana Dei enunties, & futura prædicas, ac præsertim reposita in Coelis Piiis præmia, & in gehenna impiis supplicia prædices, cunctisque inculces: *Rex*, ut Domineris Cælo, & terræ, omnibusque, quæ in eis sunt.

(a) *cit. loc.* Conferatur ORIGINES in *Commentar. in Matth.* Quæ continentur *Oper. Omn. Sanct. Patr. Græcor. vol. XVI. pag. 515. WIRCEBURGI MDCCLXXXV. Conferatur simul ESTIUS Annotat. in princip. & difficil. S. Script. loc. pag. 794.*

§. VIII.

Similiter exponit § VII. versum decimum septimum. *Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon, Bar-Jona* Annon longè fatius fuisset, si novellus epidromus vel lectorem ad CORNELIUM A LAPIDE tantum modo remississet, vel hæc ex eodem adduxisset verba: (a) „Beatus, & felix es, ô Petre, „ob hanc novam de me fidem; hæc enim ingens est „bonum, & donum, non carnis, & sanguinis, id est „naturæ; sed gratiæ Dei, tibi id ipsum inspirantis, „& revelantis; fides enim hæc initium, & basis omnis „gratiæ, & gloriæ, ideoque hæc te, & multos per „te, tuumque exemplum & prædicationem ducet „ad beatitudinem æternam. Beatitudo enim viæ con- „sistit in fide, & amore Christi: beatitudo vero „patriæ in ejusdem visione, & fruitione juxta illud, „Joan. 17. 2. *Hæc est autem vita æterna, ut cog- „noscant te solum Deum verum, & quem misisti, „Jesum Christum.* Hinc Synodus Ephesina actione 3. „*Ter beatissimus, inquit, & omni laude dignus „Petrus Apostolus, qui est petra, & Crepido Ca- „tholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum.* Hinc „& inolevit consuetudo fidelium, ut Pontifici lo- „quentes, dicant: *Beatissime Pater.* Unde S. Hie- „ronymus ad Damasum Pontificem: *Ego, inquit,*

„ beatitudinē tuæ , hoc est , cathedræ Petri consocior ;
Aft odit profanum polemicorum vulgus , & arceat.

(a) loc. cit. §. 17. Conferantur ESTIUS cit. pag. 794.
§. 17. & HARDUINUS Comment. in Nov. Evangel.
secundum Matth. Cap. XVI. Annatot. 17.

§. IX.

Dum §. VIII. profert varias interpretationes versus
18. Tu es Petrus , & super hanc Petram ? attestatur
Clericum , grotium , Hammodum , Whithy , Mi-
chaëlem , Rosemmulerum , Tellerum , Bathodtium , He-
zelium , atque Hessium. Cur extranei adducuntur
testes ? An in re domestica domestici desunt ? Non
desunt , sed à Thaddæo , heic non à S. ADAMO ,
sed à duce MICHAELIS , quâ profani , haud admit-
tuntur , videlicet BELLARMINUS (a) ESTIUS
(b) CORNELIUS A LAPIDE (c) CHARLAS
(d) SCHELSTRATE (e) ORSI (f) ZACCA-
RIA (g) BALLERINIUS (h) ITALUS ad Fe-
bronium (i) SAPPELIUS (k) LUPOLI (l) ac
FEBRONIUS ABBREVIATUS (m). Hi , hi sunt
illi novitatibus , varietatibus , imaginibus , illusionibus ,
obfuscationibus , corruptionibus , depravationibus , fal-
sitatibus , erroribus , schismatibus , atque hæresibus ,
nondum initiati polemici , haud quaquam digni , sacra
audire mysteria Ergo cantandum.

ODI PROFANUM VULGUS & ARCEO.

(a) Disputat de Controvers. Tom. I. Lib. I. Cap. X.

(b) cit. pag. 794. §. 17.

(c) cit. loc. §. 17.

(d) Primat. Jurisdic. Roman. Pontif. Afferat.
Cap. I. §. I.

(e) Antiquitat. Eccles. Tom. II. Dissertat. II.
Cap. VI. Art. I.

(f) De irreform. Roman. Pontif. Tom. II. Lib.
IV. Cap. I.

(g) Anti-Febronio Tom. I. Dissertat. I. Cap. IV. §. I.

(h) De vi , ac ratione Primat. Roman. Pontif.
Cap. XII. §. I.

(i) Epist. III. Cap. I. §. II. Resp. I.

(k) *Lib. singul. de statu Eccles. Tom. III. Part. II. §. VI.*

(l) *Jur. Eccles. Prælect. Tom. I. Cap. IV. §. III.*

(m) *Tom. I. Cap. I. §. II.*

§. X.

Quò Orientalium linguarum Professor §. IX. evincat, *Petrâ* designari Petrum Apostolum, potissimum invocat *Joannem Camero*, & *Eduardum Leigh*. Cur non invocavit celeberrimum dominum *MAYER* (a) dextrè exponentem „*Nota* insuper, quod Christus „*Petrum* Syriacè fuerit allocutus: hæc enim tunc erat „vulgaris Judæorum lingua, quâ Christus quoque utebatur, & quam etiam discipuli Solam eo tempore „intellexisse videntur. Qui autem græcè *Petros*, & „latinè *Petrus* dicitur, is syriacè vocabatur *Kipho*; „vel *Cepha*; & postea ab Evangelistis formatione, „ac terminatione græcâ scribebatur *Cephas*. Igitur „Christus hoc loco Simonem, non *Petron*, aut *Petrum*, sed revera *Kipho*, vel *Cepham* appellavit. „Certè cum Christus eundem Simonem primò ad „se venientem videret, intuitus eum dixit: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas*. Ita testatur „S. Joannes Evangelii sui Cap. I. v. 42. mox addens: „*Quod (Cephæ nomen) interpretatur Petros*, „scilicet græcè; latina verò enuntiatione *Petrus* „dicitur. Vide græcum S. Joannis Evangelium. Undè „etiam S. Matthæus in Evangelio suo, quod ipse „linguâ syriacâ conscripsit, Christum ita locutum fuisse „refert: Et ego dico tibi, quia tu es *Kipho*, vel „*Cepha*. Solumque in græca ejusdem Evangelii versione *Petros*, & in latina *Petrus* legitur „Ast nonne & hic de profesta polemicorum gente venit, quos pius sive Carmelita, sive Ex-Carmelita odit, & arcet.

(a) *De Romani Pontif. Anæst. VI. II. Assert. I. num. 1254.*

§. XI.

Sacræ hermeneuticæ Professor §. X. uberiùs exponit verba: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Tandem soæ aliam popularis

fui J. D. MICHAELIS (a) expositionem subjungit, atque examinat. An nescit sciolus, magis Catholicas expositiones datas esse a laudato BELLARMINO (b) ESTIO (c) CORNELIO A LAPIDE (d) ORSI (e) SOARDI (f) ZACCARIA (g) & BALLE-RINIO (h)? Respondens, non cantat, sed potius plenis vociferatur buccis: Polemicorum.

ODI PROFANUM VULGUS, & ARCEO.

O Catholicum Sacro Sanctæ Theologiæ Doctorem;
O Catholicum Sacræ hermeneuticæ Professore.

(a) *Ejus si superis placet, Orthodoxiam, vel ipsi Augustanæ confessioni addidi, saltem nostrates palam loquuntur. Itaque noscitur ex socio, si non cognoscitur ex se.*

(b) *cit. lib. I. Cap. XI.*

(c) *cit. pag. 797 v. 18.*

(d) *cit. loc. v. 18.*

(e) *cit. lib. IV. Cap. II.*

(f) *De suprema Roman. Pontif. Autorit. Tom. I. Lib. I. Cap. I.*

(g) *cit. Cap. IV. §. II.*

(h) *cit. Cap. XII. §. II.*

§. XII.

Interea æneus impertentè pergit, ac §. XI. eruit sensum dicti: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Eum in finem plura ex Ethnicis vatibus, tum ex sacra Scriptura conglomerat, ac tandem concludit, consuetissimè orco seu morti potius tribui. Miror a biblico commentatore haud additum esse *PSAL. IX. v. 15.* tenoris: *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion; nec non PSAL. CVI. v. 18.* qui sonat. *Omniem escam abominata est anima eorum. & appropinquaverunt usque ad portas mortis, porro JOB. Cap. XXXVIII. v. 17.* ubi: *numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti, similiter SAP. XVI. v. 13.* cujus verba: *Tu es enim domine,*

qui vitæ, & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis. Annon id longè congruentius fuisset, quam Ethnicis versibus immorari, & confabulari, præcipuè cum macerrimus SS. Theologiæ Doctor audentius jactitet (a) se sequi velle solam duce[m] Hermeneuticam sacram. Hæc per transennam. Cæterum sensus est planus, & simplex, nimirum ecclesiam quam CHRISTUS ædificavit, sive cætum fidelium colentium Deum eo ritu, quem Christus instituit, nec superandum, nec vincendum, nec evellendum, nec destitutam esse.

(a) §. I. lit. b.

§. XIII.

Sacer Hermeneuticus §. XII. rectè pergit ad alteram Effati partem: *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Atque exponens exoptulat, „ Neque illud demonstratione indigere puto, cui claves domûs traduntur, „ ei potestatem fieri, quosdam in domum admittendi, „ quosdam exciudendi pro Domini arbitrio. Quod si „ igitur nil aliud Petro a Christo dictum fuisset, quam: „ *Tibi dabo claves regni cœlorum;* quis non veluti „ manibus palparet, Petro promitti facultatem, ex „ Jucæ s, & gentibus, unde Ecclesia colligenda erat, „ dignos in Christi Ecclesiam admittendi; repellendi „ verò ab ea indignos? „ Paulo aliter, ac CALVINUS (a) monens: *At verò quum de clavibus agitur, semper cavendum est, ne facultatem aliquam somniamus ab Evangelii prædicatione separatam.* Interim Hermeneuticæ Professor ocius subdit, quid verba, quæ sequuntur, velint.

(a) *Instit. Lib. III. Cap. 4. num. 4.*

§. XIV.

Hinc curiosius §. XIII. quærit, quid indicent verba: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quærendo, ac respondendo.

Destruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Imprimis namque ex REIMMANNO desumit, „ *Clavis vis duabus constabat partibus, clave strictè dicta,*

„ & manubrio. Illa erat pulchra, ærea, & curvata :
 „ Hæc eburnea. Et sicut hac eandem solebant pre-
 „ hendere, ita illâ nodos artificiosè nexos & nudis
 „ manibus haud dissolubiles, resolvere. „ Amabo !
 Num heic sermo de clave naturali, numve potius de
 clave morali? Ad quid igitur descriptio clavis natu-
 ralis, nisi ad puram putam ostentationem? Dein sacræ
 Hermeneuticæ magister, baccalaureus licentiatus,
 Doctor, Professor, ac correpetitor refert, quæ HO-
 MERUS de Euryclea Telemachi nutrice fores clau-
 dente, de Ulyssæ cistam dono sibi oblatam claudente,
 de Penelope suis in ædibus januam aperiente, ac de
 Ulyssæ forium custodiam Philoëtio demandante canit :
 Sic *Thaddæus à S. Adamo* sacris vatibus comitatus
 venit, atque ostentatitia dona adfert. Hem! An non
 plûra adferre potuisset, nimirum illud PAPINIANI
 (a) *Clavibus traditis, ita mercium in horreis condi-
 tarum possessio tradita videtur, si claves apud horrea
 traditæ sint; quo factò confestim emptor dominium,
 & possessionem adipiscitur, etsi non aperuerit horrea :*
 quod si venditoris merces non fuerunt, usucapio con-
 festim inchoabitur. Illud JAVOLENI (b) *ferræ, &
 claves magis domûs portio, quam domûs instrumentum
 sunt.* Illud CAJI (c) *Si quis merces in horreo repp-
 sitas vendiderit, simul atque claves horrei tradiderit,
 transfert proprietatem mercium ad emptorem.* Illud
 CATONIS (d) *In Torcularium usui quod opus stet,
 Urceum unum æneum, quod capiat quadrantalia quin-
 que; uncos ferreos tres, orbem æneum unum molas
 unas, cribrum unum incerniculum unum securim unam
 scamnum unum seriam vinariam unam clavem torcu-
 lario unam.* Illud PLAUTI (e)

*Clavim cedo, atque abi intra, atque occlude ostium
 Et ego hinc occludam.*

Quid jam? subitò is sensus monacho, si vè exmo-
 nacho (ita enim monachum exiit, ut ne monachicum
 quidem indusium superfit) vel in vito se offert „ Tibi
 „ facultatem concedo, post meum in cælos reditum,

„ Judæis , & gentibus aditum ad Ecclesiam meam
 „ referandi. Siquos indignos repereris , ut in cætum
 „ Christianorum admittantur , eosque à fidelium so-
 „ cietate excluderis , alios verò ob animum docilem ,
 „ moresque ad Evangelii normam compositos , dignos
 „ judicaveris , ut in album discipulorum meorum re-
 „ ferantur . ego in cœlis ad dexteram Patris mei
 „ confidens , utrumque ratum habebø . „ Pòl invita
 Minerva ! Pòl sacra Hermeneutica ! Pòl carmina non
 priùs audita virginibus , puerisque ! Utique & dupon-
 dius novit , CHRISTUM metaphoricè loquutum esse ,
 dum dixit : *Tibi dabo claves regni cœlorum* . Ast dum
 subdit : *Quodcumque ligaveris super terram , erit liga-
 tum & in cœlis , & quodcumque solveris super terram ,
 erit solutum & in cœlis* , eundem tum tropicè , immò
 & poëticè , ut biblico susurratori placet , loquutum ,
 & verbo *ligare* loco *admittere ad Ecclesiam* , & verbo
solvere loco *repellere ab ecclesia* usum esse , neque
 affirmabit , neque annuntiabit , nisi Doctor Profanis ,
 ut cum Apostolo (*f*) loquar , *vocum novitatibus* , atque
 oppositionibus falsi nominis scientiæ & initiatus , &
 repletus ; Et enim annon *ligare* idem est , quod *vincire* ,
constringere ; *vinculare* , *contrahere* ? Sic jure consulti
 dicunt : *Nihil tam naturale est , quàm eò genere quid
 que dissolvere , quò colligatum est* (*g*) Si *linum quò
 ligatæ sunt tabulæ , incisum sit* (*h*) Sic QUINTI-
 LIANUS (*i*) perorat . Nonne apud ipsum Demosthe-
 nem paucissima hujusmodi reperiuntur ? Quæ appreh-
 hensa Grægi magis [nam hoc solum nobis pejus fa-
 ciunt] in *catenas ligant* , & *inexplicabili serie con-
 nectunt* , & *indubitata colligunt* , & *probant confessa* ,
 & *se antiquis per hoc similes vocant* . Sic OVIDIUS
 (*k*) canit .

*Non tulit infelix : laqueosque animosa ligavit
 Guttura , pendentem Pallas miserata levavit .*

Annon vicissim *solvere* idem est , quod *liberare* ,
eximere ? Sic iterum jureconsulti asserunt : *Licet enim
 lex imperii solennibus juris imperatorem solverit : nihil*

tamen tam proprium imperii est, quam legibus vivere
 (l) *Actioneve*, quâ solutus ob id, quod dies ejus
 exierit (m) *Nec à furioso divertendo solvit se hujus
 legis necessitate* (n) *Solvisse accipere debemus non
 tantum eum, qui solvit, verum omnem omnino, qui
 eâ obligatione liberatus est, quæ ex causa judicati
 descendit.* (o) Sic CÆSAR (p) memorat: *Pompejus
 sub noctem naves solvit.* Sic VIRGILIUS (q) cantat.

Accipite hanc animam, meque his exsolve curis.

A profanis transeamus ad sacros. Sic sacra Scriptura
 effert. *Ligabisque eam vitta Hyacintina & erit super-
 tiaram: (r) Et ligabis ea, quasi signum in manutua,
 eruntque, & movebuntur inter oculos tuos (s) Liga
 eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui
 (t) Porro: Feceritis oblationem Domino in holo-
 caustum, aut victimam, vota solventes, vel sponte
 offerentes munera (u) Quæ sub viro est mulier,
 vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit
 vir ejus, soluta est à lege viri (x) Nolite putare,
 quoniam veni solvere legem, aut prophetas: Non veni
 solvere, sed adimplere (y) Ex hisce omnibus quis
 quæso concludet, atque eliciet, ligare & solvere idem
 esse, quod admittere ad ecclesiam, & repellere ab
 ecclesia, ita ut si quis ad ecclesiam admittatur, aut ab
 ecclesia repellatur, CHRISTUS in cœlis ad dexteram
 Patris sedens, utrumque sit habiturus ratum? Dic fodes!
 quis hujus rati habitionis erit effectus, vis, virtus, ac
 sequela! An ut quis ad ecclesiam pro hac mortali vita
 tantum admittatur, vel ab ea repellatur? Herclè tum
 saltem mihi perinde foret, si ve admitterer, si ve repel-
 lerer. Immo ferre jugum dolosus, male messè Libertinus,
 quam Christianus, etiam si ipse CHRISTUS (z)
 dixerit: *Jugum enim meum suave est. et onus meum
 leve.* Interimego æque, ac quilibet verè Catholicus,
 firmiter teneo, ac certissime credo, verba CHRISTI
 sic capienda esse: qui ab ecclesia super terram fanci-
 tis legibus, & præceptis, latis censoris, impositis fa-
 tisfactionibus, aliisve peccatorum, ac noxarum penis*

innodatus, ligatus, constrictus, vinculatus fuerit, regno cælorum, siue æternâ beatitudine carebit; e contra gaudet, qui in ecclesia super terram omnibus peccatis, & pænis solutus, ac liberatus fuerit. Alioquin enim promissio à CHRISTO Filio DEI vivi facta PETRO, ejusque successoribus foret elusoria, frustranea, vana, nulliusque frugis, eo quod ultra limites mortalium comitaretur neminem. Ita autem de DEO sentire, atque opinari non modò temerarium, ac nefarium, sed & Sacrilegum, impium, atque atheo plenum est. Hinc non curo, quæ mundanus homo de Josepho somnium regis explicante, de repetitis imaginibus, queis Israelis, aliorumque populorum fata, aurea que Messiaë tempora in libris prophetiæ veteris testamenti, atque decretæ Evangelii de Judaica, & ethnica superstitione victoriæ in Apocalypsi pinguntur, nec non de solemniori oratione garrat, ac blaterat, quâ solymorum excidium, & futura reipublicæ Judaicæ everfio à CHRISTO describitur.

- (a) L. 74. II. de contrah. empt.
 (b) L. 12. §. 24. II. de instruct.
 (c) L. 9. §. 6. II. de A. R. D.
 (d) de Re rust. Cap. XIII.
 (e) Mostell. Act. II. Scen. I. v. 78.
 (f) I. TIMOTH. 6. 20.
 (g) L. 35. II. de R. f.
 (h) L. 1. §. 10. II. de honor. possess. se-
 cum lum tabulas.
 (i) de Instit. Orat. Lib. V. Cap. XIV.
 (k) METAMORPH. Lib. VI. v. 134.
 (l) L. 3. Cod. de Testament.
 (m) L. 21. II. Ex quiq. causf. major.
 (n) L. 45. §. 5. II. de Rit. nupt.
 (o) L. 4. §. 7. II. de Re jedicat.
 (p) de Bell. civil. Lib. I.
 (q) ÆNEID Lib. IV. v. 652.
 (r) EXOD. XXVIII. 37.

- (f) DEUTER. VI. 8.
 (t) PROVERB. VIII. 3.
 (u) NUMEROR. XV. 3.
 (x) Ad ROMAN. VII. 2.
 (y) MATTH. V. 17.
 (z) MATTH. XI. 30.

§. XV.

Tandem commentator biblicus §. XIV. cancorum more retrogreditur, & plures Scripturæ textus congerit, quorum tamen quidam, ipsomet teste, scopo non respondent. Ad quid ergo perditio hæc? Non nisi ad meram ostentationem, ac sequentem argumentationem: *Demus jam, Christum adhæc Isaiæ verba respexisse, ecclesiam suam sub imagine terreni regni adumbrasse, ac Petrum primum ejus ministrum renuntiasse, num inde omnipotens Ecclesiæ Monarcha, quem grex Scholasticorum suspexit, sive Petrus, sive successor aliquis exsculpetur? Verè, verè:*

*Dignus est intrare
 In nostro docto corpore*

Nimirum quæ SS. Theologiæ Doctor, qui perhibente Auctore *Colloq. Doctor Ingolst* (a) hebraizando Patres Latinos, & Græcos nimium quantum superat. Quæ fac:æ Hermeneuticæ, & linguarum Orientalium Professor, de quo laudatus Auctor *Colloc.* notat: *Video alterum, nempe Thaddæum a S. Adamo. Genesim Germanicè depravare, & historias Sacras, miracula, prodigia, Dæmones, tanquam fabulas, deliria, cerebri simenta tractare.* Quæ publicus atque ordinarius Professor, qui ceu dogmaticorum Pater PETAVIUS (c) de Catharo quondam prædicavit, vocabulariis, & Grammaticorum tricis innutritus, ac Theologicarum rerum apprimè rudis, non ea quidem recondita, neque arcessita, sed obsoleta, sed millies explosa, sed ex trivio petita, atque ex facie declamatiunculæ cujus piam garrit, quam in conventiculo aliquo Puritanorum puer excepit. Quæ ex monachus,

sive excarmelita, qui cum Antonio de Dominis, Luthero, soave, seu potiùs sarpi, Platel, seu potiùs Norbert, Perecra, Windkopp, Schneider, reliquisque monachis androgynis optimè consociatur. Quà novator, atque illuminator, cui quam maxime convenit illud CHARLASII contra DU-PINIUM: (d), Quodcumque fuerit ejus in scribendis suis de antiqua Ecclesiæ disciplina, Dissertationibus consilium, quicumque fuerit ejus affectus, pro certo habeo, eas, si Catholicis probentur, hæreticis arma ministraturas; quibus non solum Romani Pontificis Primatum, sed etiam Universam Ecclesiæ hierarchiam concutiant, & varios ejus ordines confundant. Denique qua Thaddæus à S. Adamo, quem Eva à Serpente (e) seducta seduxit. Age, fare. Quinam grex, sive brutorum animalium, sive hominum PETRUM, atque aliquem ejus successorem unquam suspexit omnipotentem Ecclesiæ Monarcham? Annon grex, seu potiùs gens politicorum Imperatorem Romanorum, æquè ac Reges Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ; sueciæ, Daniæ, Borussiae salutat Monarchas! Num ideo omnipotentes renuntiat? Dum ergo non solus Scholasticorum Grex, sed & alii de gente Dogmaticorum, & Canonitarum (f) Pontificem asserunt Monarcham, num ideo suspiciunt, sive exsculpunt omnipotentem, quippe cum non omnipotens sit, nisi solus DEUS (g) qui Schismaticis, atque hæreticos novatores, illuminatoresque in Ecclesia super terram ligatos in cœlis nec solvet, nec liberabit, prout ipsimet testificabuntur, dum scelus igne luent.

(a) pag. 78. lit. a.

(b) pag. 137. lit. d.

(c) de Theolog. Dogmati Tom. IV. Lib. III. Cap. VII. §. VIII.

(d) de Libert. Eccles. Gallic. Tom. III. Præfat.

(e) De hoc serpente symbolicus Thaddæus in der versuchrings geschichte Christi bl. 27. (e) ita gannic
 „ Es versteht sich, daß ich keine schlange mit menschen reden lasse, sondern die erzählung vom sündenfall für ein altes hieroglyptisches gemäld halte, welches man nach her in buchstaben Schrift über-

„ trug, ohne die bilder zu aendern. Die schlange
 „ ist symbol des verführers, welcher in Engel gestalt
 „ mit der Eva redete. „ Di boni! Quoddam Sym-
 „ bolum inductoris, qui in forma Angeli cum Eva
 „ loquebatur? Forte Symbolum ipsius *Thaddæi*, qui in
 „ forma sacri Hermeneutici Evangelistas, totamque Scrip-
 „ turam Sacram diabolicè tentat? De hoc alio die plura.

(f) Conf. BELLARMINUS *Disputat. de Contro-
 versis Tom. I. Lib. I. Cap. X.* SCHELSTRATE *Antiq.
 Eccles. Tom II. Differt. IV.* LUPUS *synod. Ge-
 neral. & Provincial Tom. V. pag. 287.* FERRARIS
Biblioth. Tom. VI. voc. Regimen num. 14. & seqq.
 HAGÆ COMITUM & FRANCOFURTI
 MDCCLXXXIII, ZECH *de Hierarch. Ecclesiast.
 Tit XV. §. 157.* ZACCARIA *Anti-Febron. Tom. I.
 Cap. IV. §. IV.* LUPOLI *Jur. Ecclesiast. Prælat.
 Tom I. Cap. IV. §. II.* ITALUS *ad Febron. Epist.
 IV. §. V.* NATALIS ALEXANDER *Histor. Ec-
 clesiast. Tom. IV. pag. 204.* BINGII MDCCLXXXVI.
 & latissimè illustris Auctor *de l'Autorité des deux
 Puissances Tom. II. Part. III. Chap. II. pag. 193.*
 à STRASBOURG MDCCLXXXVIII. Ejus initialia
 verba omnino digna sunt, quæ heic subdantur: „ De
 „ ce nombre est un Ecrivain moderne, qui, sous le
 „ nom de Febronius, a excité l'indignation de tous
 „ les Catholiques, & (ce qui est encore plus decisif
 „ contre lui) qui s'est attiré un applaudissement presque
 „ Général de la part des Protestans. Par cette raison
 „ nous nous attacherons principalement dans ce Cha-
 „ pitre, à le faire connoître, & à le réfuter.

„ Cet ecrivain, qui semble se proposer de faire
 „ connoître, quels sont les droits annexes à la pri-
 „ mauté du Saint-Siège, pour engager l'Église a
 „ r primer les abus, & les usurpations qu'il impute aux
 „ Souverains pontifès, pose d'abord en these, que la
 „ constitution de l'Église n'est point une constitution mo-
 „ narchique, *formam Ecclesie non esse Monarchicam.*
 „ Son Apologiste regarde ce point comme fonda-
 „ mental. Mais les censeurs de Febronius avoient
 „ déjà malheureusement prouvé contre lui, que sa
 „ doctrine étoit diametralement opposée à celle de

„ l'Église Gallicane, qu'il avoit invoquée, & que
 „ cette Église enseignoit expressement, que le Gou-
 „ vernement de l'Église étoit un Gouvernement Mo-
 „ narchique; ils lui avoient fait voir, que sa these
 „ n'étoit pas moins opposée à la Doctrine de Gerson,
 „ & du Pape Alexandre, dont il réclamoit si souvent
 „ l'autorité. Comment se tirer d'embaras? l'apologiste
 „ réplique, qu'il faut s'appliquer à penetrer le sens
 „ des termes, plutôt qu'à chicanner sur les mots. On
 „ en convient. Mais n'est ce point par les termes,
 „ qu'on juge du sens des auteurs? & puisque ces termes
 „ étoient équivoques, & qu'il s'agissoit ici d'un point
 „ fondamental, ne convenoit-il pas que Febronius se
 „ donnât au moins la peine d'en fixer la signification?
 „ l'apologiste va y suppléer.

„ Ne nous arrêtons pas, dit-il, à une question de mots,
 „ & voyons ce que c'est, que le Gouvernement vraiment
 „ Monarchique, que le Jesuite voudroit introduire.

„ J'arrête d'abord ici l'apologiste, & je lui dis:
 „ vous voulez donc prouver contre le Jesuite, que
 „ le Gouvernement de l'Église n'est pas vraiment
 „ *Monarchique*, & vous prétendez que le Clergé de
 „ France est de votre avis; il faut donc, que vous
 „ souteniez, que le Clergé de France, en disant, que
 „ le Gouvernement de l'Église est *Monarchique*, a
 „ voulu dire, qu'il n'est pas vraiment *Monarchique*. Je
 „ laisse au lecteur à juger une pareille solution. „ Quid
 „ adhoc SS. Theologiæ Doctor, & sacræ Hermeneuticæ
 „ Professor? Iterum, iterumque recinit Polemicorum.

ODI PROFANUM VULGUS. & ARCEO.

Annon ergo & popularis, magisterque FEBRONI-
 US in album Polemicorum erit referendus. Cantet
 heic Doctor, ac Professor. Eandem ego legem hinc
 legendis dabo, ut ea non attingat, neve adeat Pro-
 fectum, ac profanum *vulgus novator, illuminatorumque*.

(g) Ego Deus omnipotens. ambula coram me & esto
 perfectus GENES. XVII. 1. Dominus quasi vir pu-
 gnator. omnipotens nomen ejus. EXOD. XV. 3. Quia
 non est alius Deus omnipotens præter eum TOB. XIII. 4.
 Domine, domine vere omnipotens, in ditione enim tua
 cuncta sunt posita ESTH. XIII. 9. Unus est altissimus

creator omnipotens ECCLESIAST. I 9. Dominus Deus
omnipotens exemplum illius est. APOCALYP. XXI. 22.

§. XVI.


Unum ad huc monuisse fas sit, videlicet minimè
suffragari a symbolicae, etiam si mavis, cabalisticæ
Hermeneuticæ professore §. XV. allegatum D. CY-
PRIANUM (a) dum scribit. „ undeintelligimûs,
„ non nisi in ecclesia præpositis, & in evangelica lege,
„ ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare,
„ & remissam peccatorum dare; foris autem nec li-
„ gari aliquid posse, nec solvi, ubi non sit, qui aut
„ ligare possit aliquid, aut solvere. „ Annon paulò
antè disertis verbis præmiserat „ Petro primùm de-
„ minus, super quem ædificavit ecclesiam & unde
„ unitatis originem instituit, & ostendit, potestatem
„ istam dedit; ut id solveretur in cœlis, quod ille
„ solvisset in terris. „ Num ergo ut SS. Theologiæ
doctor hermeneuticæ, Symbolicæ, ac poëtice fingit,
heic de clave loquitur, ac per clavem solventem,
tantum potestatem baptizandi. hominesque peccatis
dimissis ecclesiæ adscribendi intelligit? Risum teneatis.
Sacra non tantùm, sed usque adeo diviua hermeneu-
tica! cui quam maxumè conveniunt CLEMENTIS
XI. verba (b) „ Quin statim agnoscat, quàm longè
„ illorum auctores defensoresque a spiritu Dei sint, qui
„ non est Deus dissentionis, sed pacis? quam longè
„ à sincera Christi charitate quam, adeo verbis prædi-
„ cant, factis destrûunt? quam longè demum a veræ
„ humilitatis & obedientiæ, quæ cæterarum virtutum
„ fundamenta sunt, tramite, dum adversus ipsam
„ Beati Petri sedem, Christianorum omnium Matrem,
„ & Magistram, caput attollere ejusque mandatis
„ obviam ire, quinimo & potestatem convellere, ac
„ palam impetere non erubescunt. „

(a) EPIST. LXXIII. pag. 280. VENETIIS
MDCCXXVIII.

(b) Vid. Colloq. doct. Ingolst. pag. 176.

Nunc tandem finiendum. Itaque excellentissime Co-
mes exigua ut ut, & tenuia benignissimè Suscipere,
mihi que semper favere digneris, velim.

Dabam è Musæo 4. Novemb. 1789.



ominus Deus
P. XXI. 22.

cet minimé
cabalisticæ
m D. CY-
ntelligimûs,
ngelica lege,
baptizare,
tem nec li-
it, qui aut
non paulò
rimùm de-
m & unde
potestatem
s, quod ille
Theologiæ
teticæ fingit,
solventem,
que peccatis
am teneatis.
hermineu-
EMENTIS
quàm longè
ei sint, qui
quam longè
erbis prædi-
num a veræ
m virtutum
erfus ipsam
m Matrem,
e mandatis
avellere, ac

NETIIS

5.
atissime Co-
Suscipere,